A. M. D. G.

De Juribus et Privilegiis Doctorum Ecclesiasticorum

OPUSCULUM CANONICUM

AUCTORE

ALOYSIO TROMBETTA

ANTISTITE URBANO AC PROMOTORE FISCALI
IN METROPOLITANA CURIA SURRENTI.

Editio II Auctior.

SURRENTI.
EX TYPOGRAPHIA D'ONOFRIO.
1911.

PROOEMIUM

Adamare Ecclesiam, ut gradum doctoralem consequantur Clerici, patet tum constitutionibus pontificiis, tum Concilio Tridentino, quod principaliora officia ecclesiastica Doctoribus adsignat. Accedit recentius decretum S. Congregationis Studiorum, die 7 Martii 1907, editum, iussu Pii X feliciter regnantis, quod, ut faciliorem redderet consequutionem Laureae Theologicae clericis, qui studia quadriennalia in Seminario absolverunt, eos dispensavit a celebrandis scholis universitariis.

Sed quoad privilegia, quae ex Laurea Doctorali dimanant, duae oppositae sententiae nostris oculis obversantur. Iura illa nimis exagerant nonnulli, qui praesertim sunt de coetu graduatorum, nimis imminuunt alii, qui praesertim de non graduatis sunt. Rem utilem hinc existimavimus facturum esse illum, qui privilegia ista ita exponeret, ut neque ea ad illorum exagerationem perduceret, neque ad istorum fere negationem prostraret. Praesenti opella hoc assequi, quantum tenuitati nostrae consentaneum fuisset, saltem in votis habuimus.

Opusculum dispescitur bifariam. In prima parte agitur de Doctorum privilegiis in genere; in secunda de iisdem in specie. Sequitur appendix, quae est de Licentia et Baccalaurea. Porro, antiquorum Canonistarum praxim sequuti, paragraphos distinximus numeris marginalibus, quia haec ratio, teste experientia, multum conducit ad faciliorem doctrinae citationem atque inventionem.

Quantum in nobis erat, nil omisimus curae et diligentiae, ut opus perfectum evaderet atque menti Sanctae Sedis apprime conforme. Propterea quidquid in eo asseruimus ex constitutionibus pontificiis, decretis congregationum romanarum, probatisque auctoribus expressimus, ut testantur eaedem notae citatoriae, quae in singulis fere paginis occurrunt.

Faxit Deus ut haec secunda Editio auctior eodem benigno favore excipiatur ac prima, ad maiorem Dei gloriam et studiosae iuventae utilitatem. Ceterum censurae Sanctae Ecclesiae iudicioque prudentum opus ex animo submittimus. Si igitur in eo tibi aliquid occurret, benevole lector, utcumque doctrinae seu menti Apostolicae Sedis contrarium, scias illud praeter voluntatem excidisse et a nobis ultro rejici atque damnari.

PARS PRIMA

DE DOCTORUM PRIVILEGIIS IN GENERE.

CAPUT I.

Origo et natura Doctoratus.

1. Ecclesia Catholica, pro divina missione, qua pollet, docendi omnes gentes, (1) in universo mundo, (2) praedita eo iure est, ut possit declarare quinam ex suis filiis sint sufficienter instructi doctrina sacra, atque ideo habiles ad alios docendum. Hinc efflorescit ius creandi Doctores Ecclesiasticos.

2. Iamvero Doctores, stricto sensu accepti, dividuntur in maiores et minores. Primi sunt qui suis scriptis ita Fidem moresque tuiti sunt, ut immediate post Ecclesiae Patres meruerint accenseri, quales sunt S. Thomas Aquinas, S. Alphonsus De Ligorio, S. Franciscus Salesius, aliique. Secundi vero sunt *qui ab ecclesiastica universitate sufficienter instructi aliqua scientia ecclesiastica renuntiantur, atque ideo habiles ad eamdem scientiam publice tradendam.*

(1) Evang. Matthaei, cap. XXVIII, v. 19 et 20.

(2) Evang. Marci, cap. XVI, v. 15.

3. Quoniam nonnisi de his Doctoribus hic agitur, placet traditam definitionem descriptivam vel breviter declarare.

Diximus: *Ab ecclesiastica universitate,* quia laica seu regia universitas, prout talis, est incompetens: *Sufficienter instructi,* quia Doctores debent scientiam callere alto non vero supremo cognitionis gradu: *Aliqua scientia,* quia non in una tantum facultate Ecclesia potest Doctorem denuntiare: *Ecclesiastica,* quandoquidem scientias temporales, sub respectu finis temporalis, Ecclesia non curat: *Renuntiantur*, non vero constituuntur, quia Laurea non dat scientiam sed tantum supponit. Unde vulgo Laurea dicitur *invisibilis scientiae visibile signum*: *Habiles,* etenim Doctoratus dat habilitatem ad docendum non vero ipsum magisterii exercitium: *Publice tradendam* cum ad private docendum non requiratur Laurea, sed tantum sufficiens scientiae cognitio ab ipso iure naturae expetita.

4. Ex communiori universitatum praxi, nemo statim, unico examine, ad Doctoratum provehitur, sed inferioribus gradibus prius initiatur. Hinc tres gradus academici numerantur; videlicet *Baccalaureatus, Prolytatus* et *Doctoratus.*

Disputatur inter eruditos, quisnam huius hierarchiae academicae auctor fuerit. Aliqui eam tribuunt Irnerio, professori bononiensi; alii Eugenio III, Romano Pontifici (1). Conveniunt tamen omnes in eo, quod summae temeritatis notam inurant illis, qui sustinent has graduationes vana gentilitate introductas esse vel Ecclesiae esse noxias. Etenim in Concilio Constantiensi fuit damnata propositio 29 Wicleffi, quae ita sonat: « Universitates, studia, collegia, *graduationes* et magisteria in iisdem sunt vana gentilitate introducta: tantum prosunt Ecclesiae, quantum Diabolus ».

---

(1) Moroni - Dizionario. Vox: Dottore.

CAPUT II.

De potestate creandi Doctores in scientiis ecclesiasticis.

5. Potestas promovendi ad Doctoratum in scientiis ecclesiasticis exclusive pertinet ad Romanum Pontificem (1). Hoc ius Papa, *ut plurimum,* exercet per universitates catholicas, aut per collegia, academias, instituta, vel etiam seminaria ecclesiastica. Diximus, ut plurimum, quia aliquando Laurea Doctoralis etiam per apostolicum rescriptum conceditur.

6. Constat Doctoratum non receptum in publica universitate, quoad beneficia et dignitates ecclesiasticas, non suffragari. Siquidem S. Congregatio Concilii inhaerens constitutioni *Quamvis* S. Pii V (2), pro assequendis muneribus ecclesiasticis ac beneficiis, quibus adnexum sit onus assumendi doctoratum seu licentiam, eos tantum ex hisce gradibus declaravit esse attendendos, qui fuerint a publica universitate collati (3). Extant tamen quaedam collegia vel instituta ecclesiastica, quae a Romanis Pontificibus, eo privilegio ditata sunt, ut Laurea, quam concedunt, perinde valeat ac illa in catholicis universitatibus acquisita.

Proposito dubio; « An Doctoris Laurea, quae a S. Sede per S. Congregationem Studiorum amplissimis viris concedi solet, sive in Theologia sive in Iure Canonico, nullo facto periculo, sed tantum propter eorumdem praeclara merita rite probata, habeat omnia iura et privilegia, quae habet Doctoris Laurea a candidatis in catholicis universitatibus per factum periculum acquisita, vel potius habenda sit solummodo honorifica? S. Congregatio studiis moderandis praeposita, die 18 Decembris anni 1903 respondendum censuit: *Affirmati-*

(1) S. Congr. de Propag. Fide, 29 Martii 1896.

(2) Pius V - Const. *Quamvis,* 1 Iunii 1568.

(3) Pallottini - Collectio. Vox: Doctoratus, n. 10, 11.

ve ad primam partem: negative ad alteram. Quam sententiam in audientia habita ab E.mo Cardinali Praefecto, die 19 Decembris 1903, Sanctissimus D. N. Pius Papa X ratam habuit et confirmavit (1).

7. Gubernia civilia non habent auctoritatem constituendi Doctores in scientiis ecclesiasticis, quia incompetentia sunt. Item Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et omnes qui iurisdictionem limitatam possident, nequeunt Doctores Ecclesiasticos renuntiare. Re quidem vera, talis renuntiatio quamdam speciem iurisdictionis universalis in Ecclesia importat. Qui enim Doctorem facit, indirecte omnibus hominibus obligationem iniicit non amplius dubitandi a priori de idoneitate scientifica promoti.

8 Modo Laureae conceduntur tantum in S. Theologia, Iure Canonico vel utroque, Philosophia et S. Scriptura. In posterum, possibile est, ut, ampliatis studiis, etiam in Historia Ecclesiastica, Theologia Morali aliisque scientiis sacris, Romani Pontifices Lauream instituant.

CAPUT III.

De subiecto Doctoratus.

9. Subiectum Doctoratus capax est omnis homo, qui speciali iure non excludatur. Porro repelluntur, *iure naturae*, infantes, fatui, amentes et muti. *Iure* autem *positivo* excluduntur *a*) foeminae, (2) *b*) minores 17 annis, (3) *c*) inhonesti, (4) *d*) infames, (5) *e*) infideles et haeretici, (6) *f*) qui nolunt emit-

(1) Monitore Ecclesiast. Vol. XV, pag. 497.

(2) Can. *Mulierem,* 17, caus. 33, quaest. 5.

(3) Schmalzgrueber - Ius ecclesiast. Lib. V, Tit. V, n. 24.

(4) Lex 7 Codicis, de professoribus et medicis.

(5) Schmalzgrueber - Ius ecclesiast. L. V, Tit. V, n. 27.

(6) Pius IV - Const. *In Sacrosancta,* § 6, 13 Novem. 1564.

tere vel professionem fidei Pii IV vel iuramentum a Pio X praescriptum contra Modernismum (1): pro Laurea vero in S. Scriptura, qui recusent emittere speciale iuramentum, de quo sermo est in motu proprio *Illibatae* Pii X, diei 29 Iunii 1910.

10. Optimo autem consilio, aliquando, ad Lauream in S. Theologia concedendam, praerequiritur, ut candidatus saltem in S. Subdiaconatus ordine sit constitutus (2). Immo ex constitutione Pii X, nemo ad academicos in Sacra Scriptura gradus assumitur, qui non sit ex alterutro ordine Cleri *sacerdos*: ac praeterea nisi Doctoratus in S. Theologia Lauream, eamque in aliqua studiorum universitate aut athenaeo a Sede Apostolica adprobato, sit adeptus (3). Insuper observandae sunt omnes illae leges particulares, propriae universitatum vel collegiorum, quae gradus academicos concedunt, praesertim circa formam examinis, frequentiam ad lectiones, taxam etc.

11. Quaeritur: An religiosi promoveri possint ad Doctoratum?

Respondetur: Affirmative, de licentia superioris (4); quia id nullatenus alienum est a statu religioso, ut fuse iam demonstravit S. Thomas Aquinas in suo opusculo, cui titulus: « *Contra impugnantes Dei cultum et religionem* » (5). Deficit tamen data responsio, si alicuius Ordinis specialia statuta prohibent sodalibus consequutionem graduum academicorum. In hoc casu requiritur speciale rescriptum apostolicum.

Ad rem facit hoc decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium: « Summus Pontifex, cupiens ut cleri regularis membra, quae studiis biblicis operam dederint, et

---

(1) Pius X - Motu prop. *Sacrorum Antistitum* - 1 Septem. 1910.

(2) Constitutiones al. Neapol. Theolog. Colleg. a Pio IX sancitae. N. 3 - 27 Mart. 1874.

(3) Pius X - Const. *Scripturae Sanctae* - 23 Februarii 1904.

(4) Bouix - De Iure Regularium. Tom. II, pars 5, sect. 1, cap. VII, § III.

(5) S. Thomas Aquinas - Opusculum XIX, caput II, edit. rom.

ipsa consequi possint gradus academicos, quos *Commissio biblica* conferre valet, vigore litterarum apostolicarum huius anni, disponere benigne dignatus est, ut specialis facultas, qua alumni Religiosorum Ordinum indigent ad gradus academicos consequendos, detur per S. C. Episcoporum et Regularium quod spectat biblica studia, *modo habituali*, neque solum *per modum acti*, in singulis casibus, prout statuta eorumdem religiosorum ordinum decernunt, quoad cetera graduum academicorum genera. Die 19 Aprilis 1904 » (1).

CAPUT IV.

De Doctorum nobilitate.

12. Qui Doctoratum Ecclesiasticum legitime consequuntur nobilitatem quamdam nanciscuntur. Revera Reiffenstuel de Laureatis ita docet: « Nobilibus annumerantur veramque nobilitatem consequuntur. Quapropter gaudent nobilium praerogativis » (2).

Schmalzgrueber, eadem fere verba repetens, dicit: « Nobilibus annumerantur et consequuntur veram nobilitatem... et hinc etiam gaudent nobilium praerogativis » (3). Item Leurenius docet: « Primum illorum (Doctorum) privilegium est quod a plebeia conditione exempti, in dignitate censeantur constituti: secundum, quod nobilibus annumerentur » (4). Demum De Luca, quo doctissimo magistro usi sumus in Universitate Gregoriana, Romae, ita concludit: « Non solum Doctoratus in dignitate sed etiam in nobilitate... constituit » (5).

Hinc Doctoribus Ecclesiasticis titulus *Admodum Reverendus* competit.

(1) Ephemerides Liturg. - Annus XVIII, N. 11, Novem. 1904, pag. 697.
(2) Reiffenstuel - Ius Ecclesiasticum. Lib. V, Tit. V, n. 7.
(3) Schmalzgrueber - Ius Ecclesiasticum. Lib. V, Tit. V, n. 5.
(4) Leurenius - Forum Ecclesiasticum. Lib. V, Tit. V, quaest. 125.
(5) De Luca - Inst. Iuris Eccl. Publici. Vol. II, Diss. V, quaest. VIII, n. 77.

CAPUT V.

Quae praecedentia Doctoribus debetur.

13. Primum locum tenent Laureati in S. Scriptura; secundum in S. Theologia; tertium in utroque Iure vel in iure tantum Canonico; quartum in Philosophia. Hic ordo constabilitus est consideratione obiecti, finis et utilitatis scientiarum.

14. Attamen praefatus ordo dignitatis fallit tribus maxime in casibus: 1° Si qui inferioris est gradus doctor munus excellentius habeat (1): 2° Si quis inferioris gradus Doctor, mirum est quantum superiores excedat doctrina, experientia, meritis (2): 3° Si consuetudine vel alio iure speciali, ita sit introductum (3). Sic in Universitate Salamantica inter Doctores Theologiae et Iuris, is locum superiorem obtinet, qui in consecutione Laureae alterum antecessit.

15. Quod si agatur de praecedentia inter Doctores eiusdem scientiae, pro regula datur, eum qui pluribus Laureis decoratus est, praecedere eum qui unam dumtaxat habet, dummodo una ex Laureis, quas primus habet, sit dignior vel saltem aequalis illi quam unicam secundus habet. Hinc Theologus et simul Canonista praefertur soli Theologo: item Canonista simul et Philosophus praecedit solum Canonistam: sed Canonista simul et Legista non gaudet praecedentia supra Theologum.

16. In functionibus ecclesiasticis peragendis, plura principia statuuntur a S. Sede et a probatis auctoribus, quae materiam praecedentiae determinant. S. Rituum Congregatio interrogata fuit: 1° « An ex Presbyteris ad capitulum non pertinentibus, qui, diebus festivis, intersunt choro et processio-

---

(1) Pignatelli - Consultationes Canonicae. Tom. V, cons. XII, n. 33.
(2) Schmalzgrueber - Ius Ecclesiasticum. Lib. V, Tit. V, n. 17.
(3) Leurenius - Forum Ecclesiasticum. Lib. V, Tit. V. q. 126.

nibus, praecedere debeant antiquiores in ordine, an potius qui Doctoratus honore insigniti sunt? 2° Num servari idem debeat inter diaconos, subdiaconos et clericos?» S. Rituum Congregatio ad suprascripta dubia, die 23 Novembris 1675, respondit ut infra, videlicet: Ad 1. « Praecedentiam inter presbyteros sumi ex antianitate ordinis, non ex gradu Doctoratus; quia presbyteratus ordo longe dignior est, quam gradus Doctoratus; sed inter plures parochos seu curatos ecclesiarum parochialium attenditur praerogativa ecclesiae parochialis, non antianitas ordinis». Ad 2. « Idem servandum, ut supra, ex iisdem rationibus» (1).

17. Doctoratus ne quidem tribuit praecedentiam super canonicos antiquiores. Ita statutum fuit a S. Rituum Congregatione in sequenti decreto: « Pro parte praepositi, capituli et canonicorum collegiatae ecclesiae SS. Cyri et Materni, in oppido Desii, Mediolanensis dioecesis, Sacrae Rituum Congregationi expositum fuit, solitum esse in eorum ecclesia canonicos sedere in choro per ordinem, secundum anterioritatem seu antianitatem admissionis ad canonicatum, nullo habito respectu ad qualitatem personae, si una sit magis qualificata, quam alia. Novissime autem cum eiusdem ecclesiae canonicatum obtinuerit Ioannes Baptista Pirannia, doctor in Theologia, ratione sui Doctoratus, ipsum praetendere primum locum in choro supra sacerdotes et canonicos antiquiores. Eadem S. Rituum Congregatio, die 29 Novem. 1603, censuit et declaravit: Vanam et inanem esse praetensionem dicti novi canonici, cum longe dignior sit ordo sacer presbyteratus, quam gradus doctoratus; et ideo illum in loco suae admissionis ad canonicatum, et non supra alios sedere et incedere debere» (2).

(1) S. R. Cong. 23 Novembris 1675, in Sypontin. N. 1551 - Idem firmatur 3 Septem. 1661, in Farfen. N. 1211 et 1 Septem. 1877, in Illerden. N. 3435.

(2) S. R. C. 29 Novem. 1603, in Mediolanen. N. 148 - Idem iam definitum fuit 18 Maii 1588, in Ostien. N. 2.

18. Si eadem die, creantur plures canonici, qui etiam eadem die ordinati fuerunt sacerdotes, canonicus doctor habet praecedentiam super alios non doctores, quia, ut docet Barbosa, « data paritate temporis, ille dicitur dignior, qui plures habet et maiores qualitates praecedendi » (1).

CAPUT VI.

De Praeferentiis quae Doctoribus competunt.

19. Cum Doctoribus sit virtutis et scientiae praesumptio (2), nil mirum si ipsi insequentibus praerogativis decorentur: 1° Laureati, caeteris paribus, in concedendis dignitatibus, beneficiis et officiis ecclesiasticis, aliis clericis praeferendi sunt (3); 2° In gratiis factis de eodem beneficio et in pari data, graduati non graduatis, et inter graduatos magis graduati, praeferuntur (4); 3° In testimonio dicendo testis Doctor praevalet alteri testi dignitatem non habenti; imo si ex una parte duo Doctores testimonium perhibeant, ii praevalent tribus non Doctoribus ex altera parte contrarium deponentibus (5); 4° Interpretatio legis dubiae a Doctoribus tradita, tamquam vera et iusta retineri debet, usquedum error probetur (6); 5° Ubi lex non reperitur, sententia Doctorum pro lege servatur (7); 6° Si deliquerint Doctores, mitius puniendi sunt quam alii (8).

---

(1) Barbosa - De Canonicis. Cap. XVIII, n. 7 et 8.
(2) Schmalzgrueber - Ius Ecclesiasticum. Lib. V, Tit. V, n. 6.
(3) Reiffenstuel - Ius Canonicum. Lib. V, Tit. De Magistris, n. 8.
(4) Regula 17 Cancellariae Apostolicae.
(5) Farinaccius - Praxis Criminalis. Quaest. 65, n. 114.
(6) Benius - De Privilegiis iuriscons. Pars II, priv. 79.
(7) Benius - De Privilegiis iurisconsult. Pars II. priv. 80.
(8) König - Principia Iuris Canonici. Lib. V, Tit. V, n. 21.

CAPUT VII.

De Iure Docendi.

20. Unusquisque Doctor Ecclesiasticus, vi suae Laureae, est habilis ad publice docendum eam scientiam, in qua diplomate est donatus. Quod privilegium non ita est interpretandum, quasi ad Seminarii scholas tantum extendatur, cum etiam ad quascumque Orbis universitates, utut celebratissimas, plenissime se porrigat.

21. Non per hoc tamen significatur, Doctorem quasi proprio marte posse suscipere munus docendi in quibusvis scholis, cum praecedere debeat competens vocatio illius superioris, sub cuius iurisdictione schola illa reperitur. Hinc est, quod fere in omnibus Laureis de hoc caveatur, his vel similibus verbis: « Hoc diplomate... Lauream concedimus, eiusdemque disciplinae tradendae potestatem facimus: qua tamen potestate uti, nisi permissu Episcopi, ne liceat » (1).

22. Ex hoc sua sponte fluit, posse locorum Ordinarios admittere vel non Doctorem in propriam dioecesim ad scientiam tradendam, sed non posse de ipsius Doctoris sufficientia et idoneitate dubitare. Ratio est, quia, ratione Laureae, pro scientia Doctoris stat praesumptio iuris, quae militat usquedum contrariae graves probationes adductae fuerint.

23. Si qua auctoritas ab Ecclesia distincta velit in propriis scholis alicuius scientiae ecclesiasticae magisterium, nonnisi personam ab Ecclesia laureatam adhibere potest. Etenim Gubernium est incompetens ad declarandum aliquem hominem sufficienter instructum in scientia sacra. Si Gubernium diversimode agit, subditos suos manifesto periculo exponit, amplectendi tamquam veram scientiam illam, quae talis non est. Confirmatur hoc experientia universitatum italicarum,

(1) Laurea in Philosophia concessa ab Academia Romana a S. Thoma.

ubi professores saepe saepius non ius canonicum sed pseudocanonicum et acatholicum docent. Unde, in Italia, bono iuvenum universitatum laicalium melius consuleretur facultatis canonicae suppressione, quam ipsius spuria et mendaci existentia.

24. Illud etiam privilegium habent Doctores, qui actu docent in scholis publicis, ut si ipsi, Canonici cum sint, Scripturam, Theologiam, Ius Canonicum vel Philosophiam tradant, licet non lucrentur distributiones quotidianas, fructus tamen prabendae acquirant (1). Cuius privilegii hanc adducit rationem Schmalgrueber: Quia ipsi « sacras istas scientias explicando non minus, imo magis, prosunt Ecclesiae quam in loco beneficii residendo » (2).

CAPUT VIII.

De Iure Annuli.

25. Datur vera et formalis lex ecclesiastica, quae vetat clericis gestare annulum. En ipsa verba decretalis XV, relatae sub titulo *De vita et honestate clericorum*, in libro III collectionis Gregorii IX: « Fibulas omnino non ferant (clerici) neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes; sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis ».

26. Attamen Doctores ecclesiastici privilegio sunt donati gestandi annulum. Probatur privilegium; 1° ex ritu traditionis annuli in creatione Doctorum; 2° ex pluribus decretis mox referendis S. Rituum Congregationis; 3° ex recta interpretatione ipsorum verborum decretalis. Ita ad rem docet Schmier: « Omnibus clericis Doctoribus, etiamsi actu non do-

---

(1) S. Alphonsus - Theol. Moralis. Lib. IV, n. 132. — De Herdt - Praxis Capitularis. Cap. 28, § 10, n. IX. 4.

(2) Schmalzgrueber - Ius Ecclesiasticum. Lib. V, Tit. V, n. 13.

ceant, vel superioritatem habeant, ius annulum portandi concedo, tum quia, in materia favorabili, plerumque sumus laxiores, et consequenter dignitatem ad Doctoratum, velut gradum honoris iuxta Clementinam *Cum sit*, 2, de Magist. extendere possumus: tum quia si non ex iure communi, saltem ex privilegio generali universitatibus et academiis indulto, Doctores rite creati, ius portandi annullum per illius insertionem in digitum, publico ritu, consequuntur » (1).

27. Hoc privilegium non se porrigit etiam ad Missam aliasque ecclesiasticas functiones, uti liquet ex decretis sequentibus: *a*) Utrum sacerdotes, qui gradus sunt assequuti, in aliqua academia vel universitate facultatem tribuente gestandi annulum, hoc gestare queant in digito, sicut Praelati gestant? S. Rituum Congregatio, respondit « Permittitur, praeterquam in ecclesiasticis functionibus, iuxta alias decreta » (2). *b*) An tolerari possit usus annuli in canonico doctore, quando celebrat aut canit Missam? S. R. C. respondit « Negative » (3). *c*) E.^me^ et R.^me^ D.^ne^ Mi Obser.^me^. Huic Sacrae Rituum Congregationi exhibita nuper fuerunt dubia, quae in adnexo folio continentur. Quum vero sacerdotibus laureatis haudquaquam licitum sit, annulum deferre in sacris functionibus, uti Em. V. probe compertum est, S. eadem Congregatio opportunum censuit, eiusmodi dubia Eminentiae Vestrae remittere, ut ipsa quemvis in re abusum, si vere irrepserit..... prorsus tollere satagat. - Romae, 12 Febr. 1892. - Proposita dubia fuerunt sequentia: 1° Laureati in S. Theologia, Iure Canonico et Philosophia in Academia Romana S. Thomae Aquinatis, possuntne annulum deferre in sacris functionibus et praesertim in celebratione Sacrosancti Sacrificii Missae? Vel hic mos potius communis abusus est dicendus? 2° Beneficiati, ca-

(1) Schmier - Iurisprudentia canonico-civilis. Lib. 3, Tract. 1, Pars 1, Cap. I, Sect. 3, § 3, N. 176.

(2) S. R. C. die 23 Maji 1846, in Bahien. ad V. N. 2907.

(3) S. R. C. die 30 Iunii 1883, in Senen. ad VII. N. 3580.

nonici et parochi fere omnes in sacris functionibus et praesertim in celebratione Sacrosancti Missae Sacrificii annulum deferunt. Possuntne? Vel abusus est hic mos, ideoque delendus? (1) Ex quibus omnibus decretis Apostolicae Sedis hanc conclusionem deducere debemus cum doctissimo liturgista De Herdt: « Licet sacerdotibus saecularibus Doctoris gradu insignitis annuli usus permittatur, non tamen in functionibus ecclesiasticis » (2).

28. Quaeritur 1.° Utrum annulus doctoralis esse debeat fascia simplex, sine gemma?

Resp. Negative. Etenim nulla positiva Ecclesiae lege, prohibetur gemma in annulo doctorali. Accedit et Urbis praxis, secundum quam, annuli gemmati Doctoribus traduntur.

Quaeritur 2.° Utrum annulus doctoralis plures gemmas habere possit?

Resp. Affirmative. Ratio est, quia nulla prohibitio ad rem congruenter adduci potest.

Quaeritur 3.° Utrum annulus gestetur in annulari digito dextrae vel sinistrae manus?

Resp. Affirmative ad primam partem: negative ad secundam. Etenim per hoc innuitur necessarium discrimen existens inter annulum doctoralem et matrimonialem, qui sinistrae manui sponsae imponitur a sponso, in ritu celebrationis matrimonii. « Sponsus acceptum annulum de manu Sacerdotis imponit in digito annulari sinistrae manus sponsae » (3). Res confirmatur exemplo Episcopi, qui, nonnisi in digitum dextrae manus, annulum recipit, in ritu consecrationis. « Sedet (Consecrans) cum mitra et solus annulum in digitum annularem dexterae manus Consecrati immittit » (4).

---

(1) Monitore Liturgico - Vol. III, pag. 400.
(2) De Herdt - Praxis Pontificalis. Tom. 1. n. 29.
(3) Rituale Romanum - Ritus celebrandi matr. sacramentum.
(4) Pontificale Romanum - De Consecr. Electi in Episcopum.

Quaeritur 4.° Utrum Doctor in pluribus scientiis ecclesiasticis renuntiatus plures annulos deferre possit?

Resp. Affirmative, absolute loquendo, quum unaquaeque Laurea det ius ad peculiarem annulum. Ast, hodiernis moribus, haec pluralitas annulorum non usuvenit. Vel ipsi Episcopi, qui, ex Caeremoniali Episcoporum (1), plures annulos deferre possunt, unico hodie sunt contenti.

Quaeritur 5.° Quid mistice designet gestatio annuli doctoralis?

Resp. Cum deferre annulum sit sponsorum proprium, Doctor tale ornamentum gestando significat, se scientiam sacram, in qua Lauream reportavit, in misticam sponsam accepisse.

Quaeritur 6.° Cur annulus doctoralis aureus sit?

Resp. Quia auri fulgor et pretiositas bene signat scientiae sacrae spiritualem fulgorem et pretiositatem.

CAPUT IX.

De Iure bireti quadricuspidis.

29. Dum clerici biretum trium cuspidum gestant, Doctoribus ecclesiasticis est privilegium illud idem deferendi ornatum quatuor cuspidibus. Insignis liturgista De Herdt docet: « Biretum cum quatuor apicibus, iuxta usum romanum, proprie est doctorale » (2). Idem confirmat E.mus Cardinalis Gasparri dicens: « Biretum cum quatuor cuspidibus habeatur privilegium Doctorum » (3). Hoc privilegium constat tum ex ritu creationis Doctorum, in quo ipsis hoc ornamentum traditur, tum ex decretis mox citandis S. Rituum Congregationis.

30. Hoc tamen ius, ad instar illius recensiti in capite praecedenti, excepta sacra praedicatione, non se porrigit ad

(1) Caeremon. Episcop. - Lib. II, cap. VIII, n. 10 et 11.
(2) De Herdt - Praxis Pontificalis. Tom. 1, n. 32.
(3) Card. Gasparri - De SS.ma Eucharistia. Vol. II. n. 736.

ecclesiasticas functiones, sed tantum ad usum, uti dicunt, civilem. En decretum S. R. Congregationis rem confirmans: « 1° An in choro et processionibus, quae capitulariter aguntur, canonicus, cui (1), ob magisterium et lauream aut licentiam in disciplinis theologicis vel sacris canonibus, facultas conceditur deferendi biretum cum quatuor apicibus, possit eodem bireto uti? 2° An iste, contradicente propter hoc capitulo, punctationi distributionum obnoxius evadat; quamvis alius sacerdos, quadraginta abhinc annis iam defunctus, in eadem ecclesia, usus fuerit tali facultate, et nemo contradixerit? S. Congregatio, die 7 Decembris 1844, ad Vaticanum coadunata, in ordinario coetu, propositis dubiis occurrens, rescribendum censuit: « Negative ad utrumque: nimirum, nec uti posse in ecclesiasticis functionibus tali bireto; nec, si utatur, amittere distributiones; siquidem biretum non est chorale indumentum » (2).

31. Cohaerenter huic rei, cum bireta rubra Cardinalium et violacea Episcoporum (3), in functionibus ecclesiasticis occurrant, numquam quatuor apicibus decorantur, et hoc etiamsi eadem gestantes sint eximii Doctores. Immo, quoad Episcoporum biretum violaceum, habemus etiam appositum decretum S. Rituum Congregationis, quod est huius tenoris: « Anne (Episcopi possint) adhibere biretum doctorale cum quatuor apicibus, quod sit coloris violacei, cum flosculo et funiculis rubri coloris? S. Rituum Congregatio, omnibus rite perpensis, die 6 Sept. 1896, rescribendum censuit: Negative, quoad biretum formae doctoralis, iuxta decretum in Venusina, diei 7 Decembris 1844: affirmative, quoad biretum formae ordinariae ac coloris violacei cum flosculo et funiculis eiusdem coloris, iuxta privilegium a Sanctissimo Domino No-

(1) In collectione III Gardellini, sub N. 4991 non legitur: *Canonicus cui,* sed: *is cui.*

(2) S. Rit. Cong. 7 Decem. 1844, in Venusina, N. 2877, ult. coll. authent.

(3) Leo XIII - Const. *Perpetuo* - 3 Februarii 1888.

stro Leone Papa XIII indistincte omnibus Episcopis concessum » (1).

Quaeritur 1.° Biretum unde originem trahat?

Resp. Biretum a Romanorum *birro* derivat (2). Porro birrus erat vestis, qua utebantur Romani ad se defendendos a pluvia (3). Habebat partem superiorem ad instar cuculli, dictam *birretum*, ad operiendum caput (4). Tractu temporis cucullus separatur a reliqua veste, ornatur cuspidibus ex digitorum impressione, insuper ei solida materia subsuitur. Ita sensim nostrum biretum efformatur.

Quaeritur 2.° Quando in usum ecclesiasticum introductum sit biretum?

Resp. Clarus Moroni, docet antiquiorem mentionem, quam possidemus, bireti ecclesiastici non esse priorem saeculo XIII. Occurrit in actis vitae S. Ivonis, pauperum patroni et advocati, qui natus anno 1252, obiit anno 1303 (5).

Quaeritur 3.° Quid significet biretum quatuor apicibus ornatum?

Resp. Est symbolum illius *coronae sapientiae*, de qua loquitur S. Scriptura. Hinc doctissimus iurisconsultus Alciati ita canebat de bireto doctorali:

Stet capiti sublimis apex tegmenque verendum
Ut Sophiae sedem digna corona tegat.

Quaeritur 4.° Utrum, in omnibus nationibus, biretum cum quatuor cuspidibus sit receptum uti insigne doctorale?

Resp. Negative. Etenim, ut docet cl. De Herdt, omnes clerici Germani, Galli et Hispani indiscriminatim gestant biretum cum quatuor apicibus (6). Sed in hoc non sunt laude

---

(1) S. R. Cong. die 6 Septem. 1895 ad V, in S. Iacobi de Cile. N. 3873.
(2) Benedictus XIV - De Sacros. Missae Sacrif. Lib. 1, cap. IX.
(3) Leoncavallo - Dizionario. Vox Birrus.
(4) Moroni - Dizionario. Vol. V, Vox Berretta Clericale.
(5) Moroni - Dizionario. Vol. V, Vox Berretta Clericale.
(6) De Herdt - Praxis Pontificalis. Tom. 1, n. 32, § 6.

digni, quia praxis Ecclesiae Romanae, (quae omnium ecclesiarum Orbis mater est et caput) vult, ut biretum cum quatuor apicibus sit exclusivum insigne Doctorum ecclesiasticorum (1).

QUAERITUR 5.° Utrum inter ecclesiasticas functiones, in quibus non permittitur usus bireti doctoralis, recenseri debeat etiam praedicatio verbi Dei.

RESP. Negative; quia haec praedicatio est quid potius doctrinale quam caeremoniale. Insuper in eadem non habetur difformitas ornamentorum inter unum et alium clericum, cum orator sit solus in suggestu (2). Rem confirmat hodiernus auctor primae notae, E.mus Cardinalis Gennari, qui ita docet: « *L'uso del berretto dottorale a quattro punte può solo permettersi nella predicazione* (3).

(1) De Herdt - Praxis Pontificalis. Tom. 1. n. 32, § 6.

(2) Quod dicitur de bireto, ratione connexorum, valet etiam de annulo doctorali.

(3) Card. Gennari - Monitore Ecclesiastico. Vol. II, Pars III, pag. 108. Latine - Usus bireti doctoralis quatuor cuspidum, in sola praedicatione, permitti potest.

PARS SECUNDA

DE DOCTORUM PRIVILEGIIS IN SPECIE.

CAPUT I.

De Privilegiis Doctorum in S. Theologia.

32. Ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceret, officium Canonici Theologi Sacrum Concilium Tridentinum, inhaerendo constitutionibus Alexandri III et Innocentii III, instituit (1). Iam iste Canonicus Theologus, in Italia et insulis adiacentibus, debet esse laureatus in S. Theologia, vel saltem talis, ut, infra annum, doctoralem lauream suscipere possit. Ita eruitur ex constitutione *Pastoralis* Benedicti XIII: « Volumus insuper, ut tam illa, quam reliquae omnes aliae Praebendae Theologales hactenus constitutae et deputatae, conferri semper debeant Doctori in S. Theologia vel qui, infra annum, doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat; et caeteroquin magis idoneo, in formali concursu ab examinatoribus renunciato, eo plane modo, quo parochiales

(1) Concilium Trident. Sess. V, cap. 1, de Ref.

ecclesiae conferuntur » (1). Sed extra Italiam et insulas adiacentes, pro quibus tantum locis, benedictinam constitutionem latam fuisse, Doctores asserunt, non est praescripta laurea (2): quia neque Ius Decretalium neque Concilium Tridentinum obligationem illam expresse imponunt. Observat tamen Bouix: « Dici quidem potest fuisse mentem sacrae synodi, ut non eligeretur nisi doctor in S. Theologia: cum enim id expresse statuerit pro scholastico, concludi potest a fortiori eam intendisse pro theologalis munere; sed tamen id expresse non dixit, ac proinde doctoratus ad theologalem praebendam obtinendam (extra Italiam) de iure communi non praecipitur » (3).

33. Quod si Episcopus theologalem praebendam alteri dederit quam illi, in supra recensita constitutione *Pastoralis*, definito, Benedictus XIII, collationem irritam declarat, eiusdemque praebendae provisionem Romano Pontifici reservat. Si tamen Canonicus Theologus in lectionibus Sacrae Scripturae tradendis negligentissimus extiterit, adhuc jubente Benedicto XIII, licebit Episcopo deputare alium *Theologum*, sacerdotem saecularem, qui iugiter supplendo eiusdem praebendati vices, ipsius distributionibus potiatur (4).

34. Pro hac autem theologali praebenda non sufficere lauream in Iure Canonico, S. Congregatio Concilii insequenti decreto expresse edocet: « An provisis de praebenda theolo-

---

(1) Benedictus XIII - Const. *Pastoralis officii* - 19 Maji 1725.

(2) Nostra privata opinio est, constitutionem *Pastoralis* esse particularem legem solum in illa periodo, quae incipit « Hinc igitur ». Ita nobis suadent *a*) tenor generalis totius constitutionis, *b*) diversa ratio servata a RR. Pontificibus, quando revera nonnisi Italiam et insulas adiacentes ligare voluerunt, *c*) generalis dicendi modus Benedicti XIV (De Synodo, lib. 13, cap. 9, n. 16) Lucii Ferraris (Vox Canonicatus, art. IX, n. 14) aliorumque. Sed haec nostra privata opinio, quae est contra torrentem canonistarum, cuique tamen Bouix, gallus, *non audet contradicere*, aliena est a damnanda vigenti praxi exterarum regionum, quibus, modo, plusquam centenaria consuetudo suffragatur.

(3) Bouix - De Capitulis. Pars I, Sect. II, Cap. IX, § 5.

(4) Benedictus XIII - Const. *Pastoralis officii* - 19 Maji 1725.

gali cum clausula de assumendo, infra annum, gradum magisterii in S. Theologia, in aliqua adprobata universitate, de iure sufficiat quod magisterium, infra annum, recipiant in Iure Canonico, in aliqua adprobata universitate?» Die 5 Iulii 1723 responsum fuit: « Negative, et habebitur ratio in casibus particularibus » (1). Hinc Benedictus XIV expresse docet: « Non sufficit ad obtinendam theologalem praebendam, si quis in Iure Canonico laurea doctoris ornatus fuerit aut, infra annum, ipsam consequi secum decernat, nisi forte privilegium Apostolicae Sedis interveniat » (2). Idem confirmat, recentius, E.mus Cardinalis Gennari: « Non sufficit laurea in Iure Canonico..... sed requiritur necessario laurea in S. Theologia » (3).

35. Cum in citata constitutione *Pastoralis* definitum sit, praebendam theologalem dandam esse Doctori in S. Theologia, vel qui, intra annum, doctoralem lauream in eadem facultate suscipiat, quaeri potest, utrum post annum inutiliter elapsum, possit talis Canonicus Theologus non laureatus pergere in proprio officio? Respondetur: Affirmative, usque ad sententiam iudicis. Siquidem, ut recte docet E.mus Cardinalis Gennari, in poenis privativis alicuius iuris adquisiti, ut in beneficiis, ad poenam incurrendam requiritur declaratio superioris, sine qua, in foro externo, non potest quis haberi spoliatus iure suo (4). Hoc confirmatur auctoritate Doctoris in hac materia principis, nempe S. Alphonsi De Ligorio, qui expresse dicit: « Adde, nisi poena consistat in privatione alicuius iuris adquisiti, puta in beneficio, electione, etc., tunc enim semper requiritur declaratio iuridica vel poenae vel saltem criminis, etiam si poena imponatur ipso facto incurrenda, nulla expectata declaratione» (5). Hoc pro foro externo.

(1) Thesaurus resolutionum S. C. C. Tom. II, pag. 321.
(2) Benedictus XIV - Instit. Eccles. Inst. LVII, n. V.
(3) Card. Gennari - Monit. Eccles. Vol. V, pars 1, pag. 68, in nota.
(4) Card. Gennari - Monit. Eccles. Vol. VII, pars II, pag. 272 et sq.
(5) S. Alphonsus - Theol. Moralis. Lib. 1, n. 148.

Quoad forum internum vero gravis semper inest obligatio Canonico Theologo theologicam lauream sibi procurandi, vel saltem super eamdem obtinendi dispensationem ab Apostolica Sede (1).

36. Insuper Laureati vel Licentiati in S. Theologia ab Episcopo eliguntur et deputantur examinatores in concursibus pro collatione praebendae theologalis et poenitentiariae. Ita Benedictus XIII ad rem disposuit: « Quotiescumque eiusmodi praebenda theologalis conferenda erit, per edictum publicum vocentur quicumque concurrere et examini sese subiicere voluerint, coram Episcopo et quatuor examinatoribus, etiamsi synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis ac deputandis, *in theologali tamen facultate licentiatis* et valde peritis, sive saecularibus sive regularibus, et illi, qui in concursu eiusmodi, probatus, magisque idoneus renunciatus fuerit, praebenda conferatur..... Postremo quaecumque hactenus de praebenda theologali... sancivimus, extendimus etiam, ac ad amussim observari volumus et mandamus, (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Poenitentiarii...... eiusque honestam substentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia » (2).

CAPUT II.

De Privilegiis Doctorum in Utroque Iure vel in Iure tantum Canonico.

37. Doctor in Utroque Iure vel in Iure tantum Canonico ius habet, dummodo aliunde sit idoneus, ut, sede vacante, eligatur ad officium Vicarii Capitularis. Hoc clare eruitur ex insequenti textu Concilii Tridentini: « Capitulum, sede vacante....... Officialem seu Vicarium, infra octo dies, post mor-

(1) Card. Gennari - Monit. Eccles. Vol. VII, pars II, pag. 272.

(2) Benedictus XIII - Const. *Pastoralis officii* - 19 Maji 1725.

tem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in Iure Canonico sit Doctor vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus: si secus factum fuerit ad Metropolitanum deputatio huiusmodi devolvatur, et si ecclesia ipsa metropolitana fuerit, aut exempta, Capitulumque, ut praefertur, negligens fuerit, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in Metropolitana et propinquior Episcopus in exempta Oeconomum et Vicarium idoneos possit constituere » (1).

Cum autem iste Tridentini textus pluribus difficultatibus aditum aperiat, eas pro posse diluere aggredimur.

38. Quaeritur 1.° Utrum liceat Capitulo, posthabitis Doctoribus, eligere clericum idoneum, ex eo quod Concilium dixerit: *Vel alias, quantum fieri poterit, idoneus?*

Resp. Negative. Etenim, ex communi interpretatione Canonistarum, (2) citata clausola est subsidiaria, nempe tunc valet quum vel Doctores desunt, vel non sunt idonei. Ita inter alios loquitur Bouix: « Tridentina synodus addens: *vel alias, quantum fieri poterit, idoneus,* clare indicat se noluisse eligi non Doctores, nisi deficientibus Doctoribus idoneis » (3). Procedit haec responsio etiam quando defuncti Episcopi Vicarius Generalis, non Doctor, a Capitulo, sede vacante, Vicarius Capitularis eligitur (4). Audiatur prae aliis Iacobus Pignatelli: « Si Episcopus demortuus reliquit Vicarium, quem elegerat, cum non esset Doctor, Capitulum non debet eum confirmare, sed alium, qui sit Doctor, eligere » (5).

---

(1) Conc. Tridentinum - Sess. XXIV, cap. 16, de Ref.

(2) Pignatelli - Consultationes. Tom. VIII, consult. 34, n. 2 sq. — Leurenius - De Episcop. Vicariis. Tract. de Capit. sede vacante, cap. IV, quaest. 557, n. 2. — Card. De Luca - Annotat. ad Conc. Trid. disc. 31, ad sess. XXIV, cap. 16, de Ref.

(3) Bouix - De Capitulis. Pars V, sect. I, cap. XI.

(4) S. Congr. Conc. 23 Februarii 1709, Acernen.

(5) Pignatelli - Consultationes. Tom. VII, consult. 4, n. 9.

Quaeritur 2.° Si in Capitulo plures adsint Doctores idonei, Vicarius Capitularis ex his seligendusne est?

Resp. Affirmative. Ita enim constanter docuit S. Congregatio Concilii, et Doctores unanimiter tenent. Unum pro omnibus allegasse sufficiat, clarissimum Augustinum Barbosa, qui docet: « Existentibus Doctoribus in Capitulo, necessario unum ex illis in Vicarium esse eligendum, alioquin deputationem ad Metropolitanum devolvi » (1).

Quaeritur 3.° Si in Capitulo nonnisi unus existat Doctor idoneus, is debetne Vicarius Capitularis necessario eligi?

Resp. Controvertitur inter Canonistas. Pro affirmativa sententia stant Bouix (2), De Angelis (3), Bargilliat (4), Maupied (5) aliique. Pro negativa sententia militant Cardinalis De Luca (6), Cardinalis D'Andrea (7) aliique. Qui ultimi ita ratiocinantur: Ad electionem faciendam requiritur libertas seu latitudo eligendi inter plures; hinc si unicus Doctor existens in Capitulo ex necessitate deberet eligi, actum esset de libertate actionis. Praeterea provocant ad plura Sacrae Congregationis Concilii decreta, quibus vel electio non Doctoris, unico posthabito Doctore in Capitulo, legitima iudicata fuit (8), vel unici Doctoris querela, aut deputatio, iure devolutivo a Metropolitano facta, reiecta est (9).

---

(1) Barbosa - Collectan. Doct. in Conc. Trident. Sess. XXIV, cap. 16 de Ref. n. 28.

(2) Bouix - De Capitulis. Pars V, sect. I, cap. XI.

(3) De Angelis - Praelect. Iuris Canon. Tom. I, Pars 2, De Offic. Vicarii n. 19.

(4) Bargilliat - Praelect. Iuris Can. Tom. I, n. 812.

(5) Maupied - Iuris univ. comp. Pars 3, lib. 4, s. 2, c. 3, § 3, q. 2, n. 2.

(6) Card. De Luca - Annot. ad Conc. Trident. Disc. 31, n. 10.

(7) Card. d'Andrea - Votum ad causam Caurien. et aliarum, diei 25 Ian. 1862.

(8) S. C. C. 22 Septem. 1714, Carinolin. - 24 Novem. 1764, Soran.

(9) S. C. C. 8 Iul. 1702, Aliphan. - 11 Sept. 1717, Nazaren. - 23 Februar. 1709, Acernen.

Quibus argumentis respondent priores Canonistae aientes: Verum est electionem fieri non posse, nisi seligendo ex pluribus; ast non probatur Tridentinam Synodum voluisse electionem proprie dictam semper et in omni casu. Imo nec utitur voce *electionis* sed *constitutionis* et *confirmationis*. Requirit ergo Concilium, ut constituatur aut confirmetur a Capitulo qui sit Doctor. Hoc autem facit Capitulum tum per electionem proprie dictam, quando adsunt plures Doctores idonei, tum per electionem improprie dictam, idest simpliciter constituendo aut confirmando, quando unicus adest Doctor idoneus. Argumento autem ex auctoritate decretorum Sacrae Congregationis Concilii petito respondent adducendo alia eiusdem Congregationis decreta, quibus contrarium evincitur. Provocant, ex. gr. ad decretum diei 3 Iulii 1679, Ecclesien. et ad decretum diei 24 Iulii 1643, Neritonen. quibus expresse declaratur: Eligendum Doctorem etiam in casu quo unicus dumtaxat de gremio Capituli adsit, ad Doctoris dignitatem promotus.

Ultimo loco recensemus decretum anni 1862, quo hodiernum jus regitur: « An et quomodo deputatio Vicarii Capitularis non Doctoris aut Licentiati in Iure Canonico, licet electus fuerit Vicarius Generalis praedefuncti Episcopi, nullitate laboret, si unus saltem de gremio Capituli sic graduatus existat? » S. Congregatio Concilii die 25 Ianuarii 1862 reposuit: « Providebitur in casibus particularibus ».

Quaeritur 4.° Si nullus in Capitulo sit Doctor vel Licentiatus in Iure Canonico, bene vero aliqui graduati idonei reperiantur extra Capitulum, in dioecesi, Vicarius Capitularis ex his eligendusne est?

Resp. Disputatur inter Canonistas. Negant Cardinalis De Luca (1), De Herdt (2) aliique. Affirmant Pezzani (3), Pallot-

(1) De Luca - Annot. ad Conc. Trid. Disc. 31, n. 10.

(2) De Herdt - Praxis Capitularis. Cap. XIX, § 2, n. 3.

(3) Pezzani - Codex S. Cath. Rom. Eccles. Vol. III, canon. 384, p. 788.

tini (1), Bouix (2) aliique. Pro prima sententia faciunt decreta S. C. Concilii 7 Iunii 1636, Vicentin; 4 Aprilis 1637 Campanien; 9 Novem. 1662, Salern; 18 Augusti 1668 Lancian. Pro secunda sententia affirmante militant decreta 11 Maji 1624, Hortonen. et Complen. et 20 Decembris 1592, Tranen. Hoc extremum decretum nimium explicitum est, quum dicat: « Electionem Vicarii non Doctoris a Capitulo, sede vacante, factam esse nullam, si alii extra Capitulum Doctores idonei, ut proponitur, existebant ».

Re ita dubie existente, Capitulum, optimo consilio, Vicarium nonnisi Doctorem vel Licentiatum eligeret: non enim expediens esset, momento tam critico pro dioecesi, talem ei praeficere superiorem, contra quem subditi contumaces exceptionem legitimitatis movere possent. Idem dic de casu sub numero superiori expenso.

Quaeritur 5.° Si neque in Capitulo neque extra, in dioecesi, reperiatur Doctor vel Licentiatus in Iure Canonico, debetne iste vocari ab extranea dioecesi?

Resp. Negative. Ratio est, quia si haec fuisset mens Tridentinorum Patrum, ipsi in supra allato textu, frustra adjecissent illa verba: *Vel alias idoneus;* etenim Doctores vel Licentiati in Iure Canonico, alicubi, semper inveniuntur sub Sole (3).

Quaeritur 6.° Si in Capitulo sint Doctores idonei et item Doctores idonei reperiantur etiam extra Capitulum, praeferendine sunt capitulares?

Resp. Affirmative. Etenim S. Congregatio Concilii ad talem casum respondit, *caeteris paribus*, praeferendos esse capitulares (4).

---

(1) Pallottini - Collectio. Tom. XVII. Vicarius Capit. § 1.

(2) Bouix - De Capitulis. Pars V, sect. I, cap. XI.

(3) De Herdt - Praxis Capitularis. Cap. XIX, § 2, n. II, 3.

(4) S. Congr. Concilii, die 9 Septem. 1594, Melphien; — 24 Iulii 1642, Neriton.

Ad rem docet Bouix: « Quando capitularis, licet non Doctor, est alias idoneus, anteponi debet extero, alias etiam idoneo, sed non Doctori » (1). Utrum autem in praedictis duobus casibus eligendus sit capitularis *sub poena nullitatis*, quaestio est inter Canonistas. Qui affirmant (2) rationem adducunt, quod in substrata materia non observantia decretorum S. Congregationis reddit actum invalidum. E contra negantes (3) tenent, praefatam non observantiam reddere posse actum illicitum, non vero invalidum.

Nota tamen cum Bargilliat (4) atque De Herdt (5), quaestionem hanc institui non posse quoad Vicarium Generalem Episcopi, etiamsi ipse sit extraneus Capitulo et ne quidem canonicus, quia in Concilio Tridentino expresse dicitur quod eligi valeat (6).

Quaeritur 7.° Utrum sufficiat Doctoratus in S. Theologia.

Resp. Sufficere sustinuit olim Riccius (7), eo quod concilium dicat: « Qui saltem in Iure Canonico sit Doctor vel Licentiatus », quasi illud adverbium *saltem* indicaret posse a fortiori eligi Doctorem in Theologia. Sed opinio illa prorsus falsa est. Vox enim *saltem* ibi adhibetur relative ad eos qui gradum habebant in Civili simul et Canonico Iure. Vult nempe synodus ut Vicarius Capitularis, si Doctor non sit in utroque Iure, in Canonico saltem gradum obtineat. Unde ad Doctoratum in Theologia non attenditur, cum de illo lex tridentina prorsus siluerit. Ita communiter Canonistae (8), ex

---

(1) Bouix - De Capitularis - Pars V, sect. I, cap. XII.

(2) Leurenius - De Capitulo sede vac. Cap. IV, quaest. 556 — Pignatelli - Consultationes. Tom. VII, Cons. IV, n. 2.

(3) Card. De Luca - Annot. ad Conc. Trident. Disc. 31, n. 20.

(4) Bargilliat - Praelect. Iuris Can. Tom. 1. n. 813, a.

(5) De Herdt - Praxis Capit. Cap. XIX, § 2, n. III.

(6) Conc. Tridentinum - Sess. XXIV, cap. 16, de Ref.

(7) Riccius - Decisiones curiae neapolit. Pars IV, decis. 305.

(8) Leurenius - Tract. de Capitulo sed. vac. Cap. 4 quaest. 557, n. 5. - Bouix - De Capitulis. Pars V sect. 1, cap. XI, n. III.

pluribus decisionibus S. Congr. Concilii, inter quas eminent illa 11 Iulii 1626, in Astensi, et alia 24 Martii 1627, in Oriolensi.

QUAERITUR 8.° Sufficitne solus Doctoratus vel Licentia in Iure Canonico ad hoc ut quis Vicarius Capitularis eligatur?

RESP. Negative: etenim praeter titulum academicum plures aliae conditiones requiruntur: hae sunt: 1° aetas 25 annorum; quia ex Concilio Tridentino ad quascumque dignitates, quibus animarum cura subest, requiritur aetas 25 annorum inceptorum (1): 2° prima Tonsura; quia necessitas alicuius ordinis etiam minoris, secundum ius vigens, a nemine Canonistarum demonstratur: 3° immunitas a censura; alias ipse nequisset fungi suo officio: 4° pietas et prudentia, sine quibus nemo esse potest superior ecclesiasticus: 5° legitimitas natalium; quia superiores ecclesiastici ordinarii illegitimi esse nequeunt (2).

39. Doctor vel Licentiatus in Iure Canonico optime eligitur etiam ad officium Vicarii Generalis. Etsi autem sit verissimum quod docet Monacelli (3): « In Iure nullibi cautum est ut Vicarius debeat esse Doctor », hoc tamen liquet ex infrascriptis decretis Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium, quae edita fuerunt die 28 Augusti 1582, in Polignanensi et die 6 Octobris 1645, in Triventina. Quinimo Sacra eadem Congregatio, 15 Novembris 1605, in Surrentina rescripsit non sufficere Vicarium Generalem esse Theologum.

40. Cum autem citata decreta nonnisi particularia sint, acre discutitur inter Canonistas, utrum eadem pro reliquis dioecesibus constituant normam praeceptivam vel directivam. Pro prima sententia militant Ferraris (4), Pellegrino (5), Sbroz-

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 12 de Ref.

(2) Leurenius - De Capit. Sede Vacante. Cap. IV. quaest. 561.

(3) Monacelli - Formularium. Pars II, tit. 16, form. 7, n. 3.

(4) Ferraris - Bibliotheca - Vox Vicarius Generalis. art. I, n. 38.

(5) Pellegrino - Praxis Vicariorum. Pars I, Monita Generalia. n. 8.

zio (1) aliique: pro secunda Garzia (2), Gennari (3), Santi (4), aliique.

41. Doctores in Iure Canonico fieri possunt advocati penes Romanam Rotam et Apostolicam Signaturam. Etsi enim advocati proprii ac nativi Sacrae Rotae et Signaturae Apostolicae sint advocati concistoriales, tamen, « admittuntur et alii sive sacerdotes sive laici, qui laurea doctorali saltem in Canonico Iure instructi, post triennale tyrocinium vel qua adiutores penes aliquem ex auditoribus, vel penes aliquem ex advocatis rotalibus, facto experimento coram rotali collegio, ab eodem idonei reperti sint, diploma advocatorum acceperint, a sacrae Rotae Decano et ab uno ex notariis subsignatum, ac iusiurandum coram rotali collegio dederint de munere ex conscientia implendo (5).

42. Habiles sunt etiam, ut eligantur adiutores auditorum Rotae, iuxta canonem 3 citatae legis, qui ita sonat: « Singuli auditores, probante rotali collegio et accedente consensu Summi Pontificis, eligant sibi unum studii adiutorem, qui laurea doctorali Iuris saltem Canonici in publica universitate studiorum, vel facultate a S. Sede recognitis donatus sit, et religione vitaeque honestate praestet » (6).

43. Laureati in Iure Canonico, caeteris paribus, ab Episcopis praeferendi sunt in adsignandis officiis Promotoris Fiscalis, Cancellarii et Vicarii Foranei, quia, sin ex lege ecclesiastica, saltem ex recta ratione patet, eos aptiores esse ad talia munia exequenda.

---

(1) Sbrozzio - De Vicarii Episcopi officio. Lib. I, quaest. 36, n. 9.
(2) Garzia - De Beneficiis - Pars V, Cap. VII, n. 17.
(3) Gennari - Monitore Ecclesiast. Serie II, Vol. XII, pag. 268.
(4) Santi - Praelect. Iuris Can. Lib. I, Tit. XXVIII, n. 26.
(5) Lex propria S. Romanae Rotae - Canon. 44 - 29 Iuni 1908.
(6) Lex propria S. Romanae Rotae - Canon. 3 - 29 Iunii 1908.

CAPUT III.

De Privilegiis Doctorum in S. Theologia vel in Iure Canonico.

44. Praecipua dignitas, cui recludit aditum theologica vel canonica laurea, est Episcopatus. Quod enim iam a suo tempore S. Paulus statuit: « *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse... pudicum, hospitalem, doctorem* », (1) Concilium Tridentinum pressius determinavit dicens: « Quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus..... antea in universitate studiorum, Magister sive Doctor aut Licentiatus in S. Theologia vel Iure Canonico merito sit promotus, aut publico alicuius academiae testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Quod si Regularis fuerit, a Superioribus suae religionis similem fidem habeat » (2).

45. Quaestionem, utrum Episcopatui accomodatior sit Theologus vel Canonista, ita resolvit Anacletus Reiffenstuel: Aut agitur de dioecesi, in qua haereses non sunt, et praefertur Canonista; quia praecipua cura est in causis discutiendis; aut agitur de dioecesi in qua haereses grassantur, et praefertur Theologus, quia praecipua cura est in defendenda Fide (3). Docet autem S. Ioannes a Capistrano (4), etiam in hoc secundo casu praeferendum esse Canonistam, quia bonus Canonista est etiam validus Theologus. Si quis tamen laureae canonicae coniungeret etiam theologicam, certissime praeferendus esset reliquis, quia utilem opem conferret dioecesi sub utroque aspectu (5).

---

(1) S. Paulus - Epistola I ad Timoth, cap. 3, v. 2.

(2) Conc. Tridentinum - Sess. 22, cap. 2, de Ref.

(3) Reiffenstuel - Ius Canonicum. Prooemium. n. 44.

(4) S. Ioannes a Capistrano - Tractatus Speculum conscientiae. Pars I, n. 31.

(5) Subintellige: Dummodo talis homo suis titulis scientificis coniungeret etiam sanctitatem et prudentiam, sine quibus, in Ecclesia Dei, nemo praeesse potest.

46. Sacrum Concilium Tridentinum haec verba notatu digna habet: « Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores aut Licentiati in Iure Canonico (1). Ad ceteras autem dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici, alioquin idonei et XXII annis non minores, adsciscantur » (2). Unde patet Doctores et Licentiatos in Theologia vel Iure Canonico habere ius, dummodo sint idonei, ut praeferantur aliis in concessione beneficii archidiaconalis. Sed hoc valet de illo tantum archidiaconatu, qui, ad mentem Concilii, adnexam habet curam animarum et iurisdictionem. Ita declaravit S. Congregatio Concilii die 26 Maji 1594 in Sulmonen: 20 Iulii 1671 in Aquaepen: 16 Februarii 1704 in Cotronen: Quare Ferraris docere potuit: « Archidiaconus, qui vere cura animarum et omni prorsus jurisdictione caret, non comprehenditur in citato decreto Concilii Tridentini quoad qualitatem Doctoratus vel Licentiaturae in eo requisitam » (3). Procedit hoc sive sit sive non sit Archidiaconatus prima dignitas in Capitulis (4).

47. Quod si obiiciatur in omnibus bullis, quae de beneficio archidiaconali a Dataria Apostolica expediuntur, sine ulla distinctione, clausulam inveniri: « Infra annum lauream doctoralem suscipere tenearis », facile respondetur cum Monacelli, hoc fieri potius de *stylo scriptorum, quam de voluntate Papae* (5).

Revera, Episcopus Nolanus hunc proposuit quaesitum Sacrae Congregationi Concilii: « *La prescrizione, che tuttora suole*

---

(1) Ad hunc textum intelligendum nota, quod, tempore Concilii Tridentini, laureati in Theologia dicebantur Magistri, in aliis autem scientiis, Doctores.

(2) Conc. Tridentinum - Sess. XXIV cap. 12, de Ref.

(3) Ferraris - Bibliotheca. Vox Archidiaconus n. 39.

(4) Ferraris - Bibliotheca. Vox Archidiaconus n. 40.

(5) Monacelli - Formularium. Tom. III. Supplem. ad Tom. 1, n. 211.

mettersi nelle bolle pontificie, di fornirsi di Laurea per la prima dignità del Capitolo, « intra annum » deve ritenersi un obbligo stretto, ovvero, come avverte il Monacelli, è una semplice formola di Dritto, che non obbliga nel presente ordine di cose; poichè per innanzi alla prima dignità si dava giurisdizione e cura di anime, mentre oggi è rimasta semplice onorificenza? (1) S. Congregatio Concilii, die 22 Iunii 1891, ita reposuit: « Detur responsum, ut in Nuscana, diei 14 Iulii 1884; idest: Lauream Doctoralem pro dignitatibus omni cura et iurisdictione carentibus de Iure non requiri » (2).

48. Si tamen alicubi Archidiaconatus adhuc curam animarum adnexam haberet et non iurisdictionem, disputatur inter Canonistas de obligatione laureae. Requiri, docent Barbosa (3) et Ferraris (4): non requiri tenent Vecchiotti (5) et Cardinalis Gennari (6). Omnes admittunt illum Archidiaconum debere esse Doctorem vel Licentiatum, qui est *oculus Episcopi*, ut loquitur Concilium Tridentinum. Sed quando Archidiaconus dicitur oculus Episcopi? Pro prima sententia hoc verificatur quando ipse fruitur iurisdictione in foro externo *vel* cura animarum; pro secunda sententia hoc verum est solum quando ipse gaudet iurisdictione in foro externo.

49. Praeterea Concilium Tridentinum « Hortatur ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, Dignitates omnes et saltem dimidia pars Canonicatuum in cathedralibus ecclesiis

---

(1) Latine: Praescriptio, quae adhuc hodie inseri solet bullis pontificiis, ut suscipiatur Laurea a prima Capituli dignitate, intra annum, retinerine debet tamquam stricta obligatio, vel, ut animadvertit Monacelli, est simplex iuris formula, quae non obligat in praesenti rerum ordine, quia antea primae dignitati dabatur iurisdictio curaque animarum et nunc ipsa remanet simplex honorificentia?

(2) Monitore Ecclesiastico - Vol. VIII, Pars 1, pag. 245.

(3) Barbosa - De Canonicis. Cap. V, n. 6.

(4) Ferraris - Bibliotheca - Vox Archidiaconus, n. 38.

(5) Vecchiotti - Institutiones Canon. Tom. I, Cap. VIII, § 83.

(6) Monitore Ecclesiastico - Vol. XI, pag. 222.

et collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris vel Doctoribus, aut Licentiatis in Theologia vel Iure Canonico » (1). Hinc manifesto eruitur non dimidiam partem Dignitatum sed absolute omnes desiderari graduatas. E contra, pro Canonicis sufficit dimidiam eorum partem constare Doctoribus vel Licentiatis. Hoc tamen non est extendendum etiam ad collegiatas simplices (2). Sed non ex eo quod hic habeatur hortamentum et non lex, infertur posse ipsum libere praeteriri; desiderium enim Superioris (et tanti Superioris !) debet esse quasi praeceptum pro Episcopis. Dignus est qui hic audiatur clarus vir Sole: « Verbum *hortatur*, quamvis, absque dubio, non praeceptum sed consilium contineat, tamen non esset certe laudandus Episcopus, qui, posthabitis Doctoribus vel Licentiatis in S. Theologia vel in Iure Canonico, caeteroquin dignis, tum dignitates, tum caeteros canonicatus aliis conferret, negligens irrationabiliter optimum Synodi Tridentinae consilium, seseque opponens spiritui Patrum Tridentinorum, qui, tali hortativa dispositione, capitulorum dignitati ac praestantiae consulere voluerunt » (3).

50. Pro officio Canonici Poenitentiarii hanc dispositionem Concilii Tridentini habemus: « In omnibus cathedralibus ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, Poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit vel Doctor aut Licentiatus in Theologia vel Iure Canonico et annorum 40, seu alias, qui aptior, pro loci qualitate reperiatur » (4). Lata est etiam pro Italia et insulis adiacentibus constitutio *Pastoralis* Benedicti XIII, quae de praebenda Poenitentiariae ita disponit: « Quaecumque hactenus de Praebenda Theologali et Sacrae Scripturae

---

(1) Conc. Trident. Sess. XXIV, cap. 12 de Ref.

(2) Collegiata insignis praestat simplici numero canonicorum, reditibus capituli, qualitate servitii, nobilitate oppidi, numero civium oppidi etc.

(3) Analecta Ecclesiastica – Ann. V, Fascic. III. Martius 1897, pag. 129.

(4) Concilium Trident. Sess. XXIV, cap. 8 de Ref.

lectione sancivimus, extendimus etiam, ac adamussim observari volumus et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Poenitentiarii in illis Cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, eiusque honestam substentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius officium pertinentia, et praeter illa, quae a Nobis superius disposita sunt, ea insuper, quae Tridentina Synodus, cap. 8, sess. 24 de reformatione de huius ministri qualitate, aetate ac exemptione a servitio chori constituit, exacte observari decernimus, praecipimus et mandamus » (1). Iamvero in dicta constitutione benedictina pro Canonico Theologo sancitur: « Volumus insuper, ut tam illa quam reliquae omnes aliae Praebendae Theologales hactenus constitutae et deputatae, conferri semper debeant Doctori in S. Theologia, vel qui, infra annum, Doctoralem Lauream in eadem facultate suscipiat » (2).

51. Hinc clare deducitur Lauream Theologicam sufficere ad officium Canonici Poenitentiarii. Sed sufficitne etiam Laurea Canonica? Quaestio valde salebrosa est. Sed nos post maturam rei discussionem, affirmativam sententiam retinendam esse putamus, nempe Lauream Canonicam sufficere. Re quidem vera, quum iura iuribus sint concordanda, quumque abrogatio prioris legis per subsequentem, materia sit hodiosa et ideo strictae interpretationis, ita debet constitutio *Pastoralis* cum Tridentino concordari, ut non admittatur ullius partis abrogatio, nisi in casu absolutae oppositionis. Atqui absoluta oppositio in casu non existit et concordia logice fieri potest; ergo Laurea Canonica pro Canonico Poenitentiario sufficit. Facile patet veritas propositionis minoris si retineatur: Poenitentiarium debere existere graduatum vel in Theologia, (uti vult Tridentinum et *Pastoralis*) vel in Iure Canonico (uti iubet solum Tridentinum).

(1) Benedictus XIII - Const. *Pastoralis*, XIV Kalendas Iunii 1725.

(2) Benedictus XIII - Const. *Pastoralis*, XIV Kalendas Iunii 1725; in fine.

52. Una limitatio videtur potius tridentino textui inferenda pro Italia et insulis adiacentibus, nempe non amplius valere clausulam « *seu alias* qui aptior pro loci qualitate reperiatur ». Ratio est quia citata benedictina constitutio Lauream absolute et semper exposcit sin actu, saltem infra annum consequendam.

53. Utraque opinio nostra firmatur uniformi et constanti praxi S. Datariae Apostolicae. Quae in bullis concessionum Poenitentiariae intra limites Italiae insularumque adiacentium, hanc clausulam inserere numquam omittit, quando provisus non est graduatus: « Volumus autem quod tu, infra annum proximum, gradum magisterii in S. Theologia vel Doctoratus aut Licentiaturae in Decretis, in aliqua approbata studii generalis Universitate, praevio rigoroso examine, ac aliis servatis servandis, suscipere omnino tenearis, alioquin Canonicatus et Praebenda praefati vacant eo ipso ».

54. Concilium Lateranense III, sub Alexandro III celebratum, statuit ut in omnibus cathedralibus ecclesiis designaretur magister, qui clericos et adolescentes pauperes gratis erudiret; cui magistro, pro honesta substentatione consuleretur assignatione beneficii ecclesiastici (1). Inde factum est, ut in cathedralibus ecclesiis officium *Scholastici* institueretur (2). Quoniam vero praescriptio Concilii in omnibus cathedralibus non observabatur, Innocentius III, in Concilio Lateranensi IV, eamdem praescriptionem renovavit et extendit ad alias etiam Ecclesias, quarum sufficere possent facultates (3). Haec quidem disciplina viguit usque ad Concilium Tridentinum, a quo cum instituerentur seminaria (4), Scolasteria sin iure, saltem facto evasit simplex titulus beneficii vel dignitatis. Nihilominus idem concilium voluit, ut non concederetur nisi Doctoribus

(1) Cap. *Quoniam,* 1, de Magistris etc.
(2) Santi - Praelect. Iuris Canon. Lib. V, Tit, V, n. 2.
(3) Cap. *Quia,* 4, de Magistris etc.
(4) Concil. Tridentinum - Sess. 23, cap. 18, de Ref.

vel Licentiatis in Theologia vel Iure Canonico, ut patet ex his verbis: « De caetero vero officia vel dignitates illae quae Scholasteriae dicuntur, nonnisi Doctoribus vel Magistris aut Licentiatis in S. Pagina aut in Iure Canonico, et aliis personis idoneis et qui per seipsos id munus expleant, conferantur: et aliter facta provisio nulla sit et invalida, non obstantibus quibusvis privilegiis et consuetudinibus etiam immemorabilibus » (1).

55. Aliud Doctorum privilegium est ut creentur Examinatores Synodales vel Pro-Synodales. En verba Concilii Tridentini: « Sint vero hi Examinatores Magistri seu Doctores, aut Licentiati in Thologia aut Iure Canonico, vel alii Clerici seu regulares, etiam ex ordine mendicantium, aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei » (2). Iamvero hic quaeritur utrum citata verba tridentina inducant alternativam electionis vel potius ordinis: seu, clarius, sciscitatur, utrum inter diversa personarum genera hic alternative expressa per verbum *vel* optio sit Episcopo tributa, vel potius ordo indicatus, in quantum non possit nominare non Doctores nisi quando Doctores in dioecesi desint?

56. Respondemus cum cl.mo Fagnano particulam *vel* ordinem inducere non electionem (3). Hoc evincitur tribus argumentis: 1° Etsi particula *vel* regulariter electionem tribuat, tamen quando est posita inter personas habentes diversas qualitates, et in prima parte nominatis subest maior ratio quam in posterioribus, ad secundam partem perveniri non debet nisi in defectu primae. 2° Si alternativa in praesenti casu non signaret ordinem, esset otiosa et satis fuisset tribuere Episcopo facultatem eligendi clericos saeculares vel regulares idoneos. 3° Sacra Congregatio Concilii declaravit: « Episcopum non posse eligere Examinatores Synodales, qui

(1) Concilium Trident. Sess. XXIII, Cap. 18 de Ref.

(2) Conc. Tridentinum Sess. XXIV, Cap. 18 de Ref.

(3) Fagnanus – Commentaria. In cap. Inter caeteras, de Rescriptis. n. 46.

non sunt Doctores seu Magistri aut Licentiati in Theologia aut Iure Canonico, si extent; alioquin alios clericos esse eligendos, qui ad id magis idonei videbuntur » (1). Postea vero idem confirmans docuit: « In praedictos Examinatores Synodales non posse eligi clericos saeculares, aut regulares, qui dictis gradibus non sint insigniti, nisi ulli viri qualitatis superius expressae non extent, quo casu, sunt eligendi, qui ad munus exercendum magis idonei videbuntur » (2).

Concludendum igitur est cum praelaudato Fagnano, particulam *vel*, quae habetur in citato loco Concilii Tridentini, « praescribere ordinem non electionem, et Episcopum ad secundam partem alternativae pervenire non debere, quamdiu primae parti possit esse locus » (3).

57. Aliud Doctorum privilegium est, ut aliquando delegentur a S. Poenitentiaria ad dispensandum super occulto impedimento affinitatis, post contractum Matrimonium, aut etiam ad dispensandum a votis castitatis vel ingrediendi religionem (4). Litterae S. Poenitentiariae hanc referunt inscriptionem: « Discreto viro Confessori, Magistro in Theologia vel Decretorum Doctori, ex adprobatis ab Ordinario, per latorem praesentium ad infrascripta specialiter eligendo ». Hinc infertur, docet Sanchez: « frustrari dispensationes has suo effectu, si eas expediens non sit vere dicto gradu insignitus, quamvis communi errore Doctor existimetur » (5). Ratio est, quia solum ille potest litteras apostolicas exequi, qui est a S. Sede delegatus: atqui S. Sedes, in casu, nonnisi Doctorem in Theologia vel in Iure Canonico delegavit: ergo solum iste potest dictas

(1) S. Congr. Concilii, 19 Februarii 1628, in Senon. - Cfr. Ferraris. Bibliotheca. Vox Concursus, art. III, n. 37.

(2) S. Congr. Concilii, 10 Martii 1629, in Turritana. - Cfr. Ferraris, l. c.

(3) Fagnanus - Commentaria. In cap. *Inter caeteras,* de Rescriptis, n. 46.

(4) Sanchez - De Matrimonio. Lib. VIII, disput. 34, n. 1 sq.

(5) Sanchez - De Matrimonio. Lib. VIII, disput. 34, n. 10.

exequi litteras; et si alius faciat, dispensationem invalidam concedit.

58. Privilegium istud, utpote forum internum spectans, perdurat etiam post constitutionem *Sapienti consilio* Pii X, qua, romana curia reformata est: quia idem Pontifex de Sacra Poenitentiaria agens iussit: « Huius sacri iudicii seu tribunalis iurisdictio coarctatur ad ea dumtaxat, quae forum internum, etiam non sacramentale, respiciunt » (1).

59. In processibus ordinariis pro beatificatione et canonizatione servorum Dei, quum saepe saepius Episcopus non possit per se procedere, delegat suum Vicarium Generalem vel alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum ad officium iudicis. Simul cum eo alios duos clericos nominat Iudices Adiunctos (2). Hi tres processum conficiunt, depositiones testium excipiunt subscribuntque, sedulo curantes ut omnia ad Iuris tramitem fiant. In antecessum autem iurare debent, se munus fideliter executuros et secretum servaturos sub poena periurii et excommunicationis latae sententiae Romano Pontifici reservatae (3). Iamvero cautum est in Iure, ut Iudices Adiuncti sint graduati, unus in S. Theologia et alter in Iure Canonico. En verba legis « Delegatus (iudex) sive ille sit Vicarius sive cuiuscumque dignitatis, cum aliis ad minus duobus doctis viris, altero scilicet Magistro in Theologia, altero vero graduato vel licentiato in Iure Canonico, rem totam ita peragere debeant, ut omnes sua nomina subnotent post subscriptionem cuiuscumque testis, antequam discedant a loco ipsius examinis » (4).

60. Lex propria Sacrae Romanae Rotae et Signaturae

---

(1) Pius X - Const. *Sapienti consilio*, 29 Iunii 1908.

(2) Fornari - Codex pro Postulatoribus causarum beatif. et canonizationis. Pars altera. Lit. B. De Iudicibus.

(3) Trama - Manuale pro conficiendis processibus beat. et canoniz. De Process. in genere. Cap. VI.

(4) Encyclica S. C. Rituum diei 12 Martii 1631.

Apostolicae concedit Doctoribus in S. Theologia et Iure Canonico privilegium, ut ex eorum classe eligantur omnes decem Praelati Auditores Rotae (1). Iussit insuper ex iisdem Doctoribus in S. Theologia et Iure Canonico seligi eos, qui in eodem tribunali esse debeant Promotores iustitiae pro iuris et legis tutela et Defensores sacri vinculi matrimonii, professionis religiosae et sacrae ordinationis (2).

Nota — Cum Doctoribus in Philosophia nullum peculiare ius sit tributum, retinendum est, eos nonnisi generalibus frui privilegiis, quae in prima parte huius Opusculi late recensuimus. Idem fere dicendum de Doctoribus in S. Scriptura, quibus hoc tantum privilegium fecit Pius X, ut eos Episcopi habere debeant « potiores, quibus, in sacro seminario, Scripturarum magisterium committant » (3).

(1) Lex propria S. R. Rotae diei XXIX Iunii 1908, canon. I.
(2) Lex propria S. R. Rotae diei XXIX Iunii 1908, canon. 4.
(3) Pius X - Const. *Scripturae Sanctae*, XXIII Februarii 1904.

APPENDIX

DE LICENTIA ET BACCALAUREA

1. Nostri instituti erat explanare iura et privilegia quae tantum Laurea Doctoralis concedit. Sed quum Licentia et Baccalaurea sint quasi gradus inferiores, quibus ad Lauream pervenitur, non abs re erit, de istis vel breviter disserere.

Licentia est ergo publicum universitatis catholicae testimonium, quo quis in secundo gradu academico constituitur, talique scientia ornatus declaratur, ut habilis sit ad consequendam dignitatem doctoralem (1). Qui tali testimonio decorantur dicuntur *Prolytae*, a graeco verbo πρὸ *ante* et λύω *solvo*, quia sciunt *solvere* quaestiones, quae *ante* eos ponuntur. Dicuntur *Licentiati* quia licentiam habent ascendendi ad Doctoratum. Appellantur demum *Mellodidiscali*, a graeco verbo μέλλω *futurus sum* et διδάσκω *doceo*, quia ipsi mox docturi sunt (2).

---

(1) Wernz — Ius decretalium. Tom. III, n. 88, II.

(2) Schmalzgrueber - Ius Ecclesiasticum. Lib. V. Tit. V. n. 2.

2. Magno animorum aestu exagitatur quaestio inter Canonistas, utrum Prolytae gaudeant iuribus et privilegiis Doctorum. Qui negant ita arguunt: 1° Iura ista conceduntur Doctoribus; atqui Prolytae non sunt Doctores; ergo nequidem dubitari potest, eos iuribus doctoralibus gaudere; 2° Privilegia tribuuntur per caeremoniam inauguralem vulgo dictam possessionem; atqui Prolytae nunquam mittuntur in possessionem Doctoratus: ergo nec eorum privilegiis frui possunt. Qui affirmant, observant: 1.° Iura, non ratione caeremoniae inauguralis Doctoribus tribuuntur, sed ratione excellentiae doctrinae, quae iam in examine pro Licentia sufficienter eluxit. 2.° Concilium, in pluribus locis (1), aequiparat Licentiatos Doctoribus. Signum est ergo eos paria privilegia habere. 3° In Digesto stabilitur principium, quod proxime accingendus haberi debeat pro accincto (2): ergo etiam in casu nostro proxime laureandus haberi debet pro laureato.

Tenenda tamen est sententia media, ab E.mo Cardinali Gennari (3) argute proposita: Licentiatos aequiparari Doctoribus quoad officia canonica (e. g. Vicarii Capitularis, Examinatoris Synodalis) non vero quoad titulum academicum et insignia gestanda (e. g. annuli, bireti). Egregie dictum! Quia, re mature perpensa, patet non plus hoc probare argumenta utriusque sententiae. Limitatur tamen haec conclusio in executione litterarum apostolicarum, quas Doctori inscriptas aperire et exequi non posse Licentiatos seu Prolytas, docent doctissimi Canonistae Reiffenstuel (4), Sanchez (5) aliique.

3. **Baccalaurea** est publicum universitatis catholicae testimonium, quo quis in primo gradu academico constituitur

(1) Concilium Trident. Sess. XXII, cap. 12, de Ref. - Sess. XXIV, cap. 18, de Ref.— Sess. XXIII, cap. 18, de Ref.

(2) Lex Filiusfamilias, 44, ff. de militari testam.

(3) Card. Gennari - Monitore Ecclesiastico. Vol. VIII, parte 2, pag. 93.

(4) Reiffenstuel - Ius Canonicum. Lib. IV. Appendix. § 9, n. 442 et 443.

(5) Sanchez - De Matrimonio. Lib. VIII, disput. 34, n. 8.

talique scientia ornatus declaratur ut habilis sit ad Licentiam consequendam.

Nomen originem trahit a *bacca lauri*, seu a frondibus lauri ornatis baccis, quibus antiquitus cingebatur caput talium graduatorum, ad significandum, quod, sicut in baccis spes fructus est, ita gradus iste iis tantum studiosis conceditur, de quibus spes concipitur, eos merituros aliquando coronam lauream, quae imponebatur in promotione Doctorum (1). Alii verbum derivant a baculo, eo quod, antiquitus, licuisset Baccalaureis baculum gestare in academiis litterariis (2). Alii demum censent etymon derivasse a verbo *bachelier*, quod Gallis erat miles adhuc tiro (3).

4. Nescitur speciale ius seu privilegium huic primo gradui academico concessum: ast denegari nequit Baccalaureis saltem illa generalis praerogativa, quae de iure naturae est, quaeque importat, quod si quis peculiarem titulum habeat, caeteris paribus, debeat aliis, illo titulo carentibus, praeferri et anteponi.

(1) Mendo - De Iure scholasticorum. Lib. 1, n. 285 sq.
(2) Dresserus, apud Mendo l. c.
(3) Besoldus - Dissert. de studiosis. Cap. 6, pag. 37.

INDEX

SURRENTI. IN METROPOLITANA CURIA.

Die 26 Februarii 1911.

Nihil obstat.
CENSOR ECCLESIASTICUS
Liberatus Russo

Imprimatur.
VICARIUS GENERALIS
Joseph Archid. Marino